

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 60

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Si eeclesiarum dei cultum monasteriorumque exaltationem terrenorum bonorum commodis preponimus, spem nobis future retributionis provenire statumque imperii nostri inde melius vigendo florere et stabiliri veraciter credimus. Quapropter noverit omnis nostrae fidelitatis tam presentis quam et futurae studela, qualiter nos et Gozberhtum Heruluesfeldensis aecclisiae abbatem condecuuit quoddam concambium inter nos mutuo facere de decimationibus cunctis, quas in Uresinaveldae et Hassega visus est possidere. Tradidit namque nobis idem abbas Gozberhtus per manum advocati sui Waldgeri consensu ac comprobatione tam ipsius quam et totius congregationis sancti Wichberhti tres capellas, unam in Altstedi, secundam in Asterhusan, tertiam in Rietstedi sitas, cum omnibus decimationibus, quas in Uresinavelde et Hassega ad ius et dominium sancti Wichberhti iure ac legaliter pertinentes visus est possidere, scilicet a summitate vallis, ubi se Saxones et Thuringii disiungunt, quae Teutonice dicitur Girophti, sursum ad aquilonarem plagam usque in Willianwech, quo terminatur comitatus Sigifridi comitis, et de Willianweche in Uipperra et inde usque in Willerbach et per eiusdem alveoli rivulum usque in fluvium Salta dictum et inde quo se Salta Sale infundit, et sursum prope ripam eiusdem alvei ad australem plagam, quo se iungunt Sala et Unstroda fluvii, et inde ad occidentalem plagam usque in Helmana fluvium et de Helmana usque ad fossam suprascriptam Girophti. Civitatum vero et castellorum infra istum terminum positarum nomina, ut posteris verius et apertius pateat, dignum duximus inserere: Alstediburch, Gerburgaburch, Niwanburch, Burnigstediburch, Helpethingaburch, Scroppenleuaburch, Cucunburch, Quernuordiburch, Smeringaburch, Uitzanburch, Scithingaburch, Mochenleiuaburch, Gozooburch, Wirbiniburch, Swemoburch, Meresburch, Hunleiuaburch, Liutiniburch; hae vero civitates et villulae infra prescriptum terminum positae decimationes legales iuste absque aliqua contradictione debent exsolvere. Nos ergo traditiones has, ut predictum est, per manum tam nostri quam et advocati nostri Liudgeri legaliter suscipientes, dedimus econtra prefato abbati iuri ac dominio sancti Wichberhti et advocato ipsius Waldgero secundum libitum utrorumque per cartas et precepta nostrae proprietatis curtem regiam Moffendorf dictam et quinquaginta mansos mediae mensurae in pago Hassega et comitatu Sigifridi comitis in villis Cloboca et item Cloboca, Panicanthorp, Saltzaimundi et Milleronthorp dictis sitos, cum familiis et mancipiis utriusque sexus et omnibus appenditiis quae aliquo modo dici aut nominari possunt iure illuc pertinentibus. Predictas vero capellas decimationesque infra prelibatum terminum positas, quas concambii iurae adquisivimus, ita ut nobis tradite sunt, pro remedio animae nostrae et contectalis nostrae Theophanu coimperatricis augustae nec non et pro salvatione animae genitoris nostri aequivoci et coimperatoris augusti tradidimus ad quendam locum Mimeleuo dictum in honore sanctae et individuae trinitatis perpetuaeque virginis Mariae constructum, ubi idem sentor noster ultimam humanae sortis ingressus est viam, et de nostro iure in ius et dominium abbatis monachorumque sibi subiectorum, quos inibi ad dei servitium collegimus, funditus donando transfundimus, ea videlicet ratione, ut liberam potestatem habeant prout eis visum fuerit ad eorum utilitatem absque omnim contradictione securi libere disponendi. Et ut hoc nostrae donationis preceptum firmum stabileque per tempora succedentia permaneat, hanc cartam inde conscribi anulique nostri inpressione iussimus sigillari. Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. Hildiboldus episcopus et cancellarius advicem Willigisi archicapellani notavi. Data XIII

kal. iunii anno dominicae incarnationis DCCCCLXXVIII, anno vero regni secundi Ottonis XIII, imperii autem XI ; actum Altstedi; amen.